

RECTOR  
ACADEMIAE LVDOVICIANAЕ  
LVDOVICVS HENRICVS  
LEO HILCHEN

MEDICINAE DOCTOR ET PROFESSOR ORDINARIVS  
SATRAPIAE GISSENSIS AC ADIACENTIVM ALIQVOT  
PRAEFECTVRARVM PHYSICVS NEC NON  
FACVLTATIS MEDICAE H. A. DECANVS

VNA CVM VNIVERSO

SENATV AC ADEMICO  
*LECTIONES*

TAM PVBLICAS QVAM PRIVATAS  
PER INSTANS SEMESTRE HIBERNVM  
AB OMNIVM FACVLTATVM PROFESSORIBVS  
HABENDAS


INDICIT ET AD EAS SEDVLO AVDIENDAS  
*GENEROSOS NOBILISSIMOSQVE*

ACADEMIAE CIVES


PERAMANTER INVITAT.

P. P. DIE X. SEPTEMBR. c1o1o cclii.

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.



*G I S S A E,*  
TYPIS IOANNIS IACOBI BRAVN, ACAD. TYPOGR.



## *In Facultate Theologica.*

**D. REINH. HENR. ROLLIUS,**

*Facult. Theol. Senior.*

**C**ommentationes in *Augustanam confessionem ejusque Apologiam*, superiore semestri *publicis lectionibus* traditas, hoc ipso, quod nunc bono cum Deo ingredimur, semestri hiberno, hora IX. continuabit; & ad finem fere perductis articulis, quos vocant, doctrinalibus, ad reliquos perget, de abusibus in ecclesiam investis exponentes. Et in his quoque sollicite notabit, quæ recentiori ætate, a maleferiatis quibusdam; vitio data fuerunt Confessoribus, eorumque quo pacto occurrendum sit imputationibus, ostendet. *Privatim* hora III. in lectionibus *Polemicis, Syllogen controversiarum Fechtianam* illustrantibus, perget, illisque, pro more sibi hactenus recepto, exercitium disputatorium, & binis quidem, singulis hebdomadibus, horis instituendum, adjunget.



D. IO. HERM. BENNER,

*h. a. Decanus.*

**P**ublice, alteram theologiae naturalis partem absoluet, consensum eius cum sacris litteris ostensurus. *Priuatim*, horis destinatis, *credenda* tractabit, methodo systematica, totum hoc stadium intra unius anni spatium decurret. Praeterea & *agenda*, simili methodo persequetur, quae theologiam quoque *pastoralem* continebunt. Alias sanctioris disciplinae exercitationes, volentibus offert.

*In Facultate Iuridica.*

D. FRANCISCVS IVSTVS  
KORTHOLT,

*Prof. Iur. Ordin. & Academ. Syndicus.*

**P**raelectiones in *digesta* nuper coeptas hoc semestri absoluet. *Ius publicum & Germanicum priuatum* propediem finiet, coque facto explicationem *iuris feudalis*, si ita videbitur, resumet.

D. GOTTLOB AVGVSTVS  
IENICHEN,

*Ord. Ictov. h. t. Decanus.*

**E**t si nemini cuiquam ignotum sit, me distringi officio ut maximo, ita molestissimo; nihilominus tamen, quamdiu adhuc in hac Academia ero, strenue in id incumbam, ut  
cun-

cunctis muneris clementissime mihi demandati partibus pro virili satisfaciam. Quapropter hyberno hoc tempore in IO. BALTH. DE WERNHER *Principia iuris ecclesiastici* sic commentabor, ut fructus inde redundet non solum ad eos, qui nostris sacris initiati sunt; sed & ad hos, qui aliquando cum laude ad Pastoris munus adspirare contendunt. Praeterea *Ius feudale* duce B. G. STRVVIO candidè atque fideliter explicabo. Denique auctore P. W. SCHMIDIO ad *usum forensis* manu ducam, prouectiores eosdemque in *disputandi* arte exercebo. Faxit Deus immortalis, ut haec mea conamina & Academiae, & mihi, & his, qui audiendi causa ad me accedent, & bene & feliciter eueniant.

## D. IO. ERNEST. HOEPFNER,

P. P. O.

Publice absoluto iure Criminali Canonicum docebit: priuatim Institutiones iuris Civilis praeunte B. HEINECCIO, & Pandectas ad ductum B. BOEHMERI explicabit; collegium quoque examinatório disputatorium singulis Sabbathi diebus aperiet.

## D. CHRISTOPH. LVDOVIC.

KOCH,

*Consiliar. Regim. Hass. Iur. Prof. Ord.*

*Pandectas* secundum ordinem b. BOEHMERI praeleget eisque expositionem *Element. Iur. Germ. Cel.* ENGAVII vel *Institutionum Iustinian.* addet. De horis praelectionibus suis destinatis auditores tempestive monebit.

*In Facultate Medica.*

D. LYDOVICVS HENRICVS  
LEO HILCHEN,

*Med. Profess. Publ. Ord.*

Regulas scribendarum formularum & Hygienen hac  
bruma docebit, insimulque ea, quae in praxi medica  
adhuc supersunt, ad finem perducet; nec alia desideranti-  
bus defuturus.

D. GERAR. ANDR. MÜLLER,

*Anat. Chir. & Botanicis Prof. P. Ord.*

Absoluto operationum chirurgicarum collegio hora nona  
anatomiam docebit, functionesque simul & usum par-  
tium animalium explicabit: hora autem tertia post meridiem  
generaliora chemiae principia, materiae medicae & artis  
pharmaceuticae praecipua fundamenta, sedulus exponet;  
corporum nempe, naturalium potissimum, principia consti-  
tutiua, relationes, viresque, selectis obseruationibus experi-  
mentisque illustratas. Neque etiam in aliis partibus artis sa-  
lutaris explicandis, suauissimorum commilitonum votis, &  
officio suo, deerit.

*In Facultate Philosophica.*

IOH. LYDOV. ALEFELD,

*Philos. naturalis Profess. ordinar. & alumnor. Princip.*

*Ephorus.*

Absoluta per aestatem generali Physices doctrina ad specialia  
nunc progredietur, ab Astronomia physica facturus  
ini-

initium. In *disputationibus priuatis* sine intermissione perget; nec deerit officio, si qua alia ratione ingenuos bonarum mentium conatus promouere poterit.

## ERNESTVS THOM,

*Prof. moral. atque iuris nat.*

**L.** *B. de Wolff Institutiones iuris naturae & gentium* explicare perget, easque iis, qui desiderabunt, denuo exponere instituet. Interpretabitur quoque *Baumeisteri Institutiones philosophiae moralis*, & huius doctrinae etiam partem quandam sigillatim, si requiritur, illustrabit.

## ANDREAS BOEHM,

*Log. Metaph. & Math. P. P. O. facult. phil. h. t. Decanus.*

**H**ora IV. vespertina *metaphysicam* interpretabitur; compendium, quod eo fine conscripsit, vt in his praelectionibus eius ductum sequatur, sub prelo sudat, dimidiamque eius partem nobilissimis Commilitonibus eo, quo collegium inchoabitur, tempore, residuam vero alteram partem post calendas Ianuarii Bibliopola noster typis exscriptam tradet. Hora V. *Logicam* exponet & tempore auditoribus commodo *Mathesin* quoque *puram* docebit. Si quid aliud praeterea sit, quo inferuire D. Commilitonum studiis ac desiderijs valeat, lubens id faciet.

## HENRICVS CHRISTOPH, NEBEL,

*Prof. Eloq. Ord.*

**A**rtem oratoriam, fundamenta stili, & Virgilii Aeneid. lib. VIII. seq. explicabit. Praeter haec operam dabit, vt auditorum expectationi satis faciat.

D.

# D. CHRISTOPH. LVDOVIC. KOCH,

*Historiar. Prof. ord. & Bibl. Acad. Praefectus.*

**H**istoriam regni Imperiique Germanici nuper ad HENRICVM VII. usq. perductam absoluet, eandemque pro desiderio Praenob. Dom. Commilitonum de integro enarrabit, originum Iuris publici Germanici vbique rationem potissimum habiturus.

# PHILIPPVS NIC. WOLF,

*Prof. LL. OO. ordin.*

**P**ublicis praelectionibus Numeros, Deuteronomion & librum Iosuae destinavit; *in priuatis* vero linguas Ebraeam, Chaldaicam, atque Graecam inculcabit. Nec illis, qui linguam Syriacam artemque accentuatoriam sibi voluerint reddere familiarem, deerit.

---

**P**raeter ista, Generosissimis quoque Nobilissimisque Ciui- bus de luculenta *equitandi, pugnandi gladio, saltandique* palaestra, *Gallicae* item & *Italicae* linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

